Fragmentarium

Ante parturiendo dolere; Unde apostolus ad galatas; Filioli mei quos iterum
parturio donec formetur xps in uobis;
[illegible] populus infidelis uel [illegible] aliquis qui
non habet ueram sapienciam desursum descenden-
tem sed terrenam animalem diabolicam. Non est
deus. De xpo dicit ereticus uel iudeus qui eum solum
modo hominem putat. Notandum quod dixerit insi-
piens in corde suo. cum dicere ad os magis pertineat quam ad cor;
Neque enim corde uerba formamus sed ore. Sed dicere in corde est
intra se cogitare. Cum autem deus inspector sit cordium et perscrutator
cogitacionum. quaecumque in corde cogitamus. deo quodam modo
loquimur. cui non solum uerba sed et cogitata quoque nostra patent.
Corrupti sunt .i. fide primo in cor deinde moribus et opere. Et
abominabiles .i. detestabiles. Non est qui faciat bonum .i.
in societate scilicet reproborum. Nam hoc de omnibus tantum intelle-
gendum. Deus de caelo prospexit super filios hominum .i. deus apostolorum
predicacione per quem nobis ille caelorum arbiter intonuit. Potest et cum
hoc quod de caelo dicitur de homine intellegi. Ut uideat si est intellegens
aut requirens deum .i. ut uidere faciat nos atque scire. Nam cum
aliquis uir scius cogitat et dolet ad malum [illegible];
magis quam ipse illius presidens hec eum cogitare facit. Omnes
declinauerunt simul inutiles facti sunt. et equaliter parturit
ecclesia; dolentis quippe est hec uox. Non est qui faciat bonum usque
ad unum. Nec unum solum facere bonum. Nam si uel de uno id intellegi
re uoluisset propter unum dixerit. Sed quaeri potest cum nemo sit qui bo-
num faciat quis sit qui malos tolerat et pacienter expectat. Hoc igitur
ad homines est tantum referendum non ad deum qui est. qui facit bonum;

xiiii

License: cc-by-nc-sa – Lyon, Bibliothèque municipale, 788 (olim 706), LyonBM788_090_48V – Fragments of manuscripts from Lyon's cathedral library (https://fragmentarium.ms/view/page/F-u6r6/337/4942)